

SCRIPTA

Numéro Scripta : 9538

Auteur(s) : Hugues d'Amiens, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Adam, Foucarmont, Notre-Dame (abbé)

Bénéficiaire(s) : Foucarmont, Notre-Dame (abbaye)

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : 1154

Lieu d'émission : Rouen

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation générale des biens de l'abbaye de Foucarmont par Hugues, archevêque de Rouen.

Tableau de la tradition

Copies manuscrites

B. Rouen, Bibl. mun., ms. 1224 (Y13), Cartulaire de Foucarmont, fol. 14v-15. Copie du XIII^e siècle

Éditions principales

a. Waldman Thomas G., *Hugh 'of Amiens', Archbishop of Rouen (1130-1164)*, PhD Thesis, Oxford, Faculty of Modern History, 1970, 648 p. (dactyl.), Appendix : The Acta of Hugh 'of Amiens', n° 46.

Dissertation critique

Date : 1154, avant le 19 décembre.

Texte d'après a

Hugo, Dei gratia, Rothomagensis archiepiscopus karissimis in Christo fratribus, Adam, abbati et conventui Sancte Marie Sanctique Joannis de Theodori Fonte in perpetuum. Cum universis sancte matris ecclesie filiis debita caritate benigni existere debeamus, eis precipue prompti exauditores habemus apparere, quos maior, ut creditur, gratia commendat, et fervor religionis copiosius exornat. Siquidem, in Domino dilecte fili abbas Adam, de tua religione et honestate bene sperantes, te in specialem filium assumimus atque tuum locum cum habitatoribus suis, religiose Deo famulantibus, sub sancte Rothomagensis ecclesie et nostra protectione suscipimus. His itaque de quibus nos iuste postulastis assensum prebentes, annuere congruum duximus atque petitionem vestram prompta benignitate exaudire. Ceterum ecclesiam Beate Marie Dei Genitricis Sanctique Joannis Evangeliste in qua, Deo auctore, congregati estis cum his que sibi iuste pertinent vobis concedimus, et ecclesiam de Campenosa villa cum decima eidem ecclesie adiacente vobis similiter donamus ; decimam quoque loci qui dicitur Fraitiz de feodo Willelmi de Sauchosamare, et decimam lande Baril Essart atque decimam de Nova Landa nemorisque quod est inter utramque vobis similiter donamus atque concedimus. Animalium etiam vestrorum et nutriture vestre decimam et terrarum vestrarum quas propriis laboribus et sumptibus laboratis, prout dominus Papa concedit, et nos concedimus et in usus pauperum et hospitum distribuenda specialius denuntiamus. Ea igitur que filii nostri comes, videlicet, Augi

Henricus, et filius eius Johannes vobis donaverunt ; omnia scilicet prata sua de Fulcardimonte et molendinum de Lescenla et in molendino eiusdem castelli septem modios frumenti et tres modios avene ad horreum suum de Fulcardimonte et partem culture sue que vestre adiacet ecclesie et Essartum Baril et Essartum Engerili atque Novam Landam et [in] foresta sua quietantiam pasnagiorum et herbagiorum et quicquid opus erit vobis ad edificationem et ignem partem annone et denariorum de ministerio quod Gaufridus de Sancto Leodegario dudum custodivit ; et in molendinis de Blangeio singulis annis septem modios brasii, et apud Augum maeriam, et medietatem pratorum suorum apud Septem Molas. Amplius autem ex dono Johannis comitis omnes culturas suas de Fulcardimonte cum auxiliis carrucarum pro septem modiis frumenti et tribus avene, quos habebatis de dono patris sui, et decimam vicecomitatus eiusdem ville et totam beeleafam inter eandem et forestam, assensu Rogerii de Frealvilla et Rogonis (sic) filii eius, et nemus inter Sartum Baril et Novam Landam pro Sarto Engerili, et in maeria Blangii, assensu matris sue, centum solidos pro septem modiis brasii, quos habebatis ex dono patris sui, et omnes messes vestras tam ad vos quam ad eas triturantes in grangis vestris pertinentes, a moltura et omni alia consuetudine liberas, et tertiam partem molendini de Maisniel' quam tenuit ecclesia Ulterioris Portus et ei pro cultura sua, que est inter Augum et eandem ecclesiam, dedit, et decimam omnium que in Anglia adquisierit, et apud Criolium hospitem unum, per totam terram suam ab omni consuetudine liberum. Et in foresta sua mansiones ad grangias vestras ubicumque necessarium fuerit construendas, et quicquid nemoris est a via qua ad grangiam de Campanosavilla de Fulcardimonte venitur usque ad ang(u)l(um) Sancti Martini quoisque terra vestra protenditur, et usque ad fundum vallis subtus ipsam grangiam iacentis. Et per totam terram suam quietantiam omnium mercatorum tam ad vos quam ad famulos vestros pertinentium actoritate, qua p(ree)minemus, corroboramus, et presentis pagina confirmamus. Preterea, ex dono utriusque comitis quicquid infra curtem aboaties vel cuiuslibet grangie vestre venditum fuerit, et in vendentibus et a vobis ementibus a theloniis et molturis quietum sit et a qualibet consuetudine liberum. Quod si inter famulos vestros vel mercennarios aliqua discordia seu quelibet querimonia, quod absit, quandoque emerserit vel de aliquo sive aliquibus vestris famulis clamor auditus fuerit, liberum sit vobis et a me et ab illis concessum quicquid illud fuerit vel per vos seu per quoscumque alios, si tamen ita libuerit, terminari et diffinari. Preter hoc ex dono Johannis quicquid de reliquo iuste et canoice acquirere poteritis in parrochia de Fulcardimonte vel de Osberni Maisnil sive de Aceribus vel de Sancto Leodegario seu Fanencort vel ad Nemus Gotberti, sive de Campanosavilla ; porro de feodo Galteri Pevrel cultruam de prato et illam de busco Rainaldi, et campum super viam de Predosavilla in vita eius quietum, post vitam ad campartum, et tres acras in campo Teoderici et duas ad nemus Notberti, totidemque in pomerio ecclesie et sartum fratris Gisleberti supra unam acram nemoris, et tres iuxta campum Guillelmi filii Seburgis, hec omnia quieta, concedentibus dominis suis Gisleberto Caletot et Richelde de Fulcardimonte, Pagano quoque filio eius. Preterea omnia asvesna eius in convalle supra abbatiam, et nemus ipsius inter ipsam et campum Teodori supra, et duas acras terre ex altera parte abbatie, et campum ante domum infirmiorum et omnia prata ipsius ad annum censem septem solidorum, concedentibus predictis dominis suis et Pagano filio eius. Item ad Campanosamvillam duas carrucatas terre quietas, unam de feodo Roberti de Fanencort, alteram vero de feodo de Restouval, Roberti de Fanencort concessione. Amplius e feodo Ansgeri de Vilars, sex acras ex una parte abbatie et quatuor ex altera quietas, concedentibus dominis suis Lamberto Girardi filio, et Radulfo Rastro cum uxore sua. Ex feodo Willelmi filii Nicholai et Gisleberti Caletot et Richeldis et Cecilie sororum et Alberee et Bernardi filii eius, omnia prata inter abbatiam et Fanencort, ipsis et dominis suis concedentibus, quieta. Ex dono Gisleberti filii Soriz et Richardi filii eius campum unum ad nemus Noberti, Thoma domino suo concedente, alterum iuxta culturam ecclesie, tercium in monte super abbatiam, prorsus quieta. Ex dono Hugonis Mationis et Radulfi filii eius Thome domini sui tres acras supra abbatiam omnino quietas. Ex dono Osberno de Pilo Cervino et Guidonis filii eius et Radulfi Rastri cum uxore sua quicquid h(aben)t citra abbatiam usque ad marlariam et ipsam et parum nemoris ultra eam. Preter hec acram terre unam omnino quieta(m). Ex dono Lamberti filii Girardi et Radulfi Rastel cum uxore sua tres acras omnino quietas. Ex dono Rogerii Baillolii et Roberti de Fanencort in feodo decime molendini sui quatuor minas frumenti omnino quietas. Ex dono Ansgeri de Moncellis filiorumque eius quatuor minas brasii in molendinis suis prorsus quietas. Ex dono Willelmi de Hosdench et Hugonis de Sancto Germano, uxore Willelmi concedente, sexdecim acras ad Onemaisnil prorsus quietas ; octo vero ex dono Roberti prepositi, predictis dominis suis concedentibus et ipsas prorsus liberas. Ad fossatum regis ex dono Roberti de Alneto, duodecim acras et totidem ex dono Hugonis de Bosco ; decem vero ex dono Ricardi Calemel cum uxore sua, omnes prorsus liberas, Roberto de Alneto concedente. Ex dono Willelmi de Portmort terram suam de Fraitiz et decem acras in placentia et totidem ad fossatum regis prorsus quietas, Roberto de Alneto concedente. Ex dono Hugonis de Hisleis duodecim acras terre in Fraitiz prorsus liberas, et dimidiad culturam ad campartum solum, dimidiad vero liberam. Ex dono Roberti de Caneceriis cum uxore sua, Ansoldo Biseta, et Henrico filio eius concedentibus. Ex dono Ricardi de Helgevilla

et Rogeri fratri eius, Willelmi et Galteri de Saucosamare, quindecim acras prorsus quietas ; reliquum eiusdem feodi ad campartum solum. Si quis autem huius nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo terciove commonitus, si non satisfactione congrua quod presumpsit emendare curaverit, districta animadversione coherceatur, atque in extremo examine divina ultione feriatur. Actum est hoc Rothomagi anno ab incarnatione Domini M°C°LIII°, regnante rege Francorum Ludovico, principante in Normannia duce Henrico.